

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Georgii Calixti S. Theol. D. ... De Praecipuis Christianae
Religionis Capitibus Disputationes XV.**

Calixt, Georg

Helmestadii, 1658

VD17 VD17 3:303575N

Dispvtatio IX. De sacramentis in genere

[urn:nbn:de:bsz:31-128662](#)

DISPVATATIO IX.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

THEISIS I.

Sacramentum vocabulum est Latinum, de quo Varro in hunc modum: *Ea pecunia que in judicium venit in litibus, Sacramentum à sacro: & qui ajebat & qui inficiabatur, uterque quingentos æris ad pontem deponebant: de alijs rebus item certo alio legitimo numero assim. Qui judicio vice-rat, suum sacramentum à sacro auferebat, victi ad ærarium redibat.* Huc etiam spectare videtur Festus, cùm ait: *Sacramentum æs significat, quod pœnae nomine penditur, sive eo quis interrogatur, sive contenditur. Id in alijs rebus quinquaginta assim est, in alijs rebus quingentorum inter eos, qui judicio inter se contenderent. Atque hinc formula: Sacramen-to quinquagenario contendere.*

II. Idem Festus, *Sacramentum, inquit, dicitur, quod jurisjurandi sacratione interpositum actum est, unde quis sacramen-to dicitur interrogari, quia jusjurandum interponitur.* In hac itaque significatione idem erit Sacramentum, quod juramentum: unde Sacramentum militare, de quo Vegetius: *Milites jurare solent, & ideo militiæ sacra-menta dicuntur. Jurant autem se omnia strenue facturos, quæ præ-ceperit Imperator, numquam deserturos militiam, nec mortem recusaturos pro Romana Repub.*

III. Festus adhuc aliam significationem innuit, ubi docet, *Sacramenti nomine id æs dicceptum esse, quod & propter ærarij inopiam, & sacrorum publicorum multitudinem, consumebatur in rebus divinis.*

IV. In

SACRA-
MENTI
VOCABU-
LUM.
I. 4 de ling.
lat. circa
fin.



IV. In Scripturis non reperitur, nisi quod vulgata versio, ubi in græco est *μυστήριον*, aliquando mysterium habet, aliquando sacramentum. Eph. i. 3. Secundum revelationem notum mihi factum est sacramentum, sicut supra scripsi in brevi: prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi. Item v. 9. & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo, qui omnia creavit. In græco ubique est *μυστήριον*. Utin Apoc. xvii. 7. calypsí quoque: Ego dicam tibi sacramentum mulieris, & bestiæ quæ portat eam, quæ habet capita septem & cornua decem.

MYSTERIUM VOBIS
SACRUM.

V. *Mystērion* (Ὄποι τὰ μίσθια, doceo quæ ad res sacras pertinent, sacris initio) denotat omne id quod arcanum & secretum est, nec nisi initiatis communicari fas est. Hebræis ρωτος Psal. xxv, 14. Paulus i Cor. xiii, 2. Si noverim mysteria omnia.

VI. In N. Testamento *μυστήριον* præcipuè significat propositum & voluntatem Dei de redimendis hominibus per Christum; item totam doctrinam, quæ hanc Dei voluntatem humano generi proponit & exponit. Nam quoniam *animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*, nisi ista divinitus revelata fuissent, à nemine explorari potuissent; quibusque revelata doctrina non innotuit, incognita ista manent & abscondita. Dicitur *mysterium temporibus æternis tacitum* Rom. xvi, 25. *mysterium absconditum à seculis & à generationibus, nunc autem manifestatum sanctis ejus* Col. i, 26. Item, *mysterium voluntatis divinæ* Eph. i, 9. *regni celorum* Matth. xiii, 11. *regni Dei* Marci iv, 11. *Mysterium Dei* i Cor. iv, 1; Col. i, 2. *Christi* Eph. iii, 4; Col. iv, 3. *Evangelij* Eph. vi, 19. *fidei* i Tim. iii, 9.

VII. Si-

VII. Significat deinde rei sacræ cujuscumque arcanæ & insensibilis figurationem per rem externam sensibus subjectam. Ita conjunctio Christi cum Ecclesiâ, illius in hanc amor & hujus vicissim erga illum obedientia typicè in carnali matrimonio adumbrata Paulo *μυστήριον μάγα*, ut vetus versio habet, *sacramentum magnum* vocatur Eph. v, 32.

IIX. Hæc significatio latissima est, secundum quam omnes V. Testamenti typi & figuræ Mysteria, neque non Sacraenta adpellari possent, siquidem hæc duo Latinis æquivalere dicantur. Sic Isidorus, *Sacramentum est*, inquit, *in aliquâ celebratione, cùm res gesta ita sit, ut ali- quid significare intelligatur*. Atque hoc sensu Sacramenti vocabulo usi sunt Patres, ut quævis signa rem sacram de-notantia, sive à Deo mandata, sive à viris ecclesiasticis excoigitata, sacramenti nomine indigetarent. *Nimis longum est*, ait Augustinus, *convenienter disputare de varietate signorum, quæ cum adres divinas pertinent, Sacraenta adpel-lantur*. Unde ipse signum crucis, in Psal. cxli; panem S. Eucharistie vicarium, quem accipiebant catechumi-ni, l. ii de pecc. mer. & remiss. c. xxvi; omnia quæ age-bantur circa catechumenos, exorcismos, orationes, cantica spiritualia, insufflationes &c. l. iv de Symb. ad catech. c. i, sacramenti nomine dignatur.

IX. Strictior itaque significatio est, & hodiè in Ecclesiâ receptior, quâ Sacramentum dicimus actionem à Deo institutam, quæ applicat certo ritu externum & visibile signum, & habet adnexam promissionem, per eam tamquam divinum instrumentum fidem & gratiam regenerationis adoptionisque vel conferri, vel confirma-ri & ob-signari.

Ee

X. Sa-

SACRA-MENTUM
QUIDAM
ATRUM
CUCITUM

X. Sacraenta duplicita sunt. Veteris & Novi Testamenti. Et illa quidem, sicut ante natum Messiam ut ad ejus adventum duxerant, instituta erant, sic quoque fidem in venturum Messiam & per illam fidem remissionem peccatorum & ~~confessar~~ conferebant aut confirmabant: ista vero meritum Christi jam praestitum per fidem adlicant & obsignant.

SACRA
MENTA
V.T.DUO.

XI. Sacraenta V. Testamenti duo sunt, Circumcisio & Agnus Paschalis.

XII. Circumcisio instituitur a Deo Opt. Max. anno a condito mundo c10 c10 XLVII. Sic ille ad Abramum: *Et tu paclum meum custodies, tu & semen tuum post te in generationes suas. Hoc paclum meum quod custodietis inter me & inter vos, & inter semen tuum post te, ut circumcidatur in vobis omnis masculus. Et circumcidetis carnem præputij vestri: & erit in signum fœderis inter me & inter vos. Et filius oœlo dierum circumcidetur vobis omnis masculus in generationes vestras. Et masculus præputiatus, cuius non circumcidetur caro præputij ejus, excidetur anima illa de populo suis, quia fœdus meum irritum fecit.*

XIII. Comes Agni Paschalis, quæ & *לְהִזָּה* Tranfusus Domino dicta, instituitur sub exitum Israëlitarum ex Aegypto, anno mundi c10 c10 cccc LIII. Vide Exodi cap. XII. Præputiatio non licebat hac frui, sed circumcidere oportebat, priusquam admitti posset.

SACRA
MENTA
N.T.DUO.

XIV. Sacraenta N. Testamenti itidem duo sunt, Baptismus & Sacra Cœna. Et ille quidem successit in locum Circumcisionis: unde Paulus Coloss. II, II. permutatis vocabulis Circumcisionis & Baptismi significat, nos qui in N. Testamento per baptismum habemus expiationem corporis peccatorum carnis, accepisse & habere

habere idem, quod circumcisus in V. Testamento per circumcisionem acceperunt. Sicut enim circumcisione fuit sigillum justitiae fidei, Rom. IV, 11: ita baptismus est stipulatio bonae conscientiae in Deum, I Pet. III, 21. Et sicut Deus excidium minatur incircumcisio: sic Christus negat introitum in regnum Dei, qui ex aqua & spiritu renatus non fuerit, Joan. III, 5.

XV. Sacra Cœna locum Agni Paschalis occupavit. Is enim agnus fuit figura Christi, pro peccatis nostris immolati. Unde quod de isto scriptum est: *Os non comminuetis in eo;* Joannes de Christo scriptum adseverat. Ex. 12, 46.
c. 19, v. 36.
Et Paulus: *Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus;* i Cor. 5, 7.
qui propterea quoque Agnus Dei in scripturis dicitur. Sicut itaque per esum Agni Paschalis commonebant Judæi de Dei erga se clementiam, cum mirabili ex Aegypto liberatione, tum protectione à furore cuncta primogenita interimentis; typicè verò de liberatione à jugo servitutis spiritualis, reconciliatione cum Deo & ira divina placata per mortem quam subiturus erat Agnus Dei, venturus Messias, tam certò, quam certè & verè illi tunc agnum comedenter, ut ita fides in Messiam nutriretur & stabiliretur: sic nos quoque in sacrâ cœnâ memoriam passionis & mortis Christi celebramus, adeoque ex ipsius institutione corpus quod pro nobis in arâ crucis obtulit, & sanguinem, quem in remissionem peccatorum fudit, accipimus, edimus, bibimus, ut ita firmetur & augescat fides nostra, quæ jam, non quod aliquando venturus præstabit, sed meritum quod præstitit, adeoque Christum ipsum totum cominus præsentem adprehendit.

XVI. Sed de utroque Novi fœderis sacramento

Ecc 2.

sepa-

separatim agemus, & quæ eò spectant, pluribus disputabimus. Nunc hoc nobis agendum erit, ut hunc binarium rectè à nobis constitutum esse ostendamus. Pontificij enim quinque addunt, & usque ad septenarium procedunt.

XVII. Quoniam autem nusquam, quid Sacramentum sit, in sacris literis exprimitur; neque verò ipsum nomen habetur; neque Baptismus neque Eucharistia, (de quibus tamen nemo, quin sacramenta novi fœderis rectè dicantur, ambigit,) communi aliquo titulo insigniuntur, propterea de alio principio nobis circumspiciendum erit, ut numerum Sacramentorum constituere & defendere possimus.

SACRA-
MEN-
TUM
PROPRIE-
TATES.

XIX. Adsumemus itaque ea duo, quæ indubitate sacramenta sunt, & considerabimus quid illis, quatenus sacramentis competat; deinde ad hæc, cætera quæ sacramenti speciem referre possent, comparabimus & examinabimus. Nam si sacramenta fuerint, necessariò in sacramentalibus rationibus & proprietatibus cum Baptismo & Eucharistiâ convenient.

XIX. Hæc itaque I. instituta sunt in N. Testamento. Nam si sunt sacramenta novi fœderis, à Novo quoque Testamento ortum sumfisse ejusque tempore instituta esse oportet. II. Auтор eorum non est aliis, nisi ipse Deus & Dominus Iesus Christus. Neque enim hominibus Sacra menta condere licet; neque hi efficaciam impertiri possunt. Rectè itaque Thomas: *Ex institutione efficaciam habent, quæ eis non nisi divinitus ineſt.* Et hoc adeò verum est, ut Bellarminus integrum caput impenderit huic adsertioni probandæ: *Auctorem Sacramentorum solum esse Christum.* Tridentini verò dicunt:

Si quis

Supplm.
9.29, art 3.

de Saeram.
I. 1, c. 23.

Si quis dixerit, Sacraenta novæ legis non esse omnia à Iesu scilicet 7. can. x.

Christo, Domino nostro instituta, anathemasit. III. Ita instituit, ut sensibilia quædam signa sive elementa, sensibili & visibili ritu tractari voluerit; qualis actio apta sit ad significandam divinam efficaciam & gratiam, quam per ipsum sacramentum operatur & exhibit. Unde Isidorum dixisse suprà monuimtis, Sacramentum esse, cùm res ita geritur, ut aliquid significare intelligatur; & Augustinus docet verba visibilia esse; item: Si Sacraenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacraenta non essent. Sic ablutio per aquam in Baptismo ablutionem peccatorum per sanguinem Filij Dei; panis & vini sumptio in Eucharistiâ nutritionem & refectionem animæ, quam corpus & sanguis Christi nobis præstat, figurant. IV. Addidit huic ritui promissionem, quod per eum velit efficax esse, & bona cœlestia vel conferre, vel collata obsignare: némpe quum non sit aliud à parte nostri, quo tantorum bonorum participes reddamur, gratiamque regenerationis & justificationis acceptemus, nisi unica fides; fidem ille per baptismum donat, per sanctam cœnam confirmat, ut ita regeneremur & in spem vitæ æternæ sustentemur, quam certò polliceri nobis possumus, qui scimus Deum nos in gratiam recepisse, secundus nobiscum pepigisse, hujusque signa infallibilia dedisse. V. Promissiones istæ non sunt generales, sed in specie singulos respiciunt, ita ut per ea ipsis illis, qui sacramentis secundum institutionem utuntur, divina gratia significetur, adplicetur. obsignetur. VI. Instituta sunt, non habitura finem aut amissura suam efficaciam, antequam mundus finem habeat.

cont. Fau-
stum. l. 19,
c. 16.
Ep. 23.

XX. Hæ sex conditiones, & proprietates, ut

E e 3

patet

222. DE SEPTEM SACRAMENTIS

patet, in Baptismo & Eucharistiâ ratione sacramenti inveniuntur. Ubi igitur harum una aut plures defuerint, ibi negandum erit Sacmentum N. Testamenti esse, verum & germanum, quale est Baptismus & Eucharistia.

SEPTEM
SACRA-
MENTA
PONTI-
FICIORUM.

leff. 7, can. 1.

XXI. Quinque igitur illa, quæ præter hæc Pontificij sine ullo velscripturæ vel antiquitatis suffragio obtrudunt, quoniam hisce conditionibus deſtituuntur, nos propriè pro sacramentis habere non possumus. Sunt autem: Confirmatio, Ordo, Pœnitentia, Extrema unctio, Matrimonium. Anathema Tridentini paratum habent, si quis dixerit aliquod horum non esse vere & propriè sacramentum. Quare singula partite lustrabimus, & ad notas sacramentales examinabimus.

CONFIR-
MATIO.

XXII. CONFIRMATIO est ritus apud Pontificios, quo baptizatorum infantum frontes per Episcopos aut eorum suffraganeos chrismate, (quod est oleum olivæ, balsamo mixtum, & ab Episcopo precibus, signo crucis, inhalatione & salutatione consecratum) illinuntur ad figuram crucis, manusque imponuntur, & pronunciantur hæc verba: *Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, in nomine P. F. & S. S.* Reliquas ceremonias vide apud Bellarm. de confirm. cap. ult. Docet autem cap. xi. de effectu, quod gratiam conferat gratum facientem, & quidem majorem, quam ipse baptismus in ordine ad roborandam animam contra Diaboli impetus.

AA. 3. 17.
19, 6.

XXIII. Hanc actionem quia caret instituto, verbo & promissionibus divinis, imò etiam exemplo, in omnibus requisitis sacramentalibus deficere manifestum est. Erat quidem in primitivâ Ecclesiâ promissio de effusione visibilium donorum Spiritus sancti super credentes, quam Apostoli impetrabant orantes super eos & adhiben-

adhibentes ritum impositionis manuum, qui quidem non erat mandatus, sed usitatus tum temporis, ut etiam hodie, ubi maximè serio & cum vehementi quâdam animi intentione res peragenda. Sic orat Jairus Christum, ut super filiam manus ponat. Math. ix, 18. Marc. v, 23. Oblati sunt ei parvuli, ut manus impone-ret eis. Matth. xix, 13. Marc. x, 16. Infirmos impositis manibus curavit. Marc. vi, 5. Orant ut surdo & muto imponat manum. vii, 32. Cœco imposuit manus. iix, 23. Super ægros manus ponent, & benè habebunt. xvi, 18. Ananias imposuit Saulo manus. Act. ix, 17. Jejunantes & orantes & imponentes manus Saulo & Barnabæ dimittunt eos. xiiii, 3. Cum Paulus illis manus imposuisset, venit Sp. sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. xix, 6. En efficaciam! Verum hæc fuere, & desit ista efficacia, ut hic ritus, quidquid sit de mandato, non possit haberri pro sacramento. Et Pontificij, quia totum immutarunt, nec exemplum poterunt obtendere.

XXIV. Ipsi Pontificij doctores hoc cognoverunt, quibus fatentibus non est à Christo institutum hoc sacramentum. Alexander Alensis part. iv, quæst. xxiv, memb. 1, *Sine præjudicio, inquit, dicendum, quod neque Dominus hoc sacramentum instituit, neque dispensavit, neque Apostoli: sed institutum est in Concilio Meldensi.* Idem sentit Bonaventura iv, dist. viii, art. 1, quæst. 1. Petrus de Aliaco in iv, sent. quæst. iv, art. 1, D ait: *Supponitur sic institutum fuisse à Christo, & Apostolos sic usos fuisse, licet hoc non legatur in scripturâ. Ipse Gregorius de Valentia: Cæremoniam confirmationis esse verum sacramentum, probamus ex ali-*

Tomo. 4. in
Thom. disp.
5, q. 1, p. 2.

DE ORDINE.

224
ex aliquot scripturæ testimonij ita intellectis, sicut exposuit tra-
ditio ecclesiastica,

ORDINA-
TIO.

XXV. ORDINATIO sive legitima ad ministerium Euangelij vocatio, & publica ejus vocationis declaratio mandatum habet, habet quoque promissionem, quod Deus largiri velit dona & vires obeundo huic muneri necessarias, & quod per id efficax velit esse ad salutem omni credenti. Verum non habet ex mandato divino signum quoddam externum, externis ritibus adhibendum; neque habet promissionem de salute ordinati, sed potius quum ipse possit esse reprobus, de efficaciâ ministerij ejus in alijs.

VII ORDI-
NES.

XXVI. Vulgo septem ordines numerant Pontificij, Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acoluthorum, Exorcistarum, Lectorum & Ostiariorum; quorum tres priores vocant majores, reliquos minores. Verum ipsi miserè inter se convenient. Canonistæ addunt Primam tonsuram & Episcopatum. Et certè ipse Bellar-

de ord. c. 3.

minus docet sacerdotes alios esse majores, id est, Episcopos, alios minores, id est, Presbyteros: & illos ex suâ ordinatione accipere novam spiritualem potestatem conferendi Confirmationem & Ordines sacros, & novum characterem diversum à Presbyteris, unde ducitur distinctum etiam esse ordinem. Alij adhuc addunt ordinem Psalmistarum, quem unâ cum Episcopatu inter ordines connumerat Dionysius, (quisquis tandem ille) de Ecclesiastica hierarchia, & Isidorus lib. vii Etymolog. & ex hisce Fr. Mayronis iv, dist. xxiv, quæst. ii.

XXVII. Sed quidquid sit de numero, alia hinc major surgit quæstio. Certissimum est de fide Pontificorum, ordinem esse sacramentum: nam hoc determinatum est

est in Concilijs Florentino & Tridentino. Sed quum ea indefinitè loquantur, dubitant vel ignorant, num unus aut aliqui aut omnes (singulis enim hisce modis vera est indefinita propositio) rationem sacramenti participent. Durandus olim solum ordinem Sacerdotij sacramentum esse voluit *IV*, dist. *xxiv*, q. *2*. In quā etiam sententiā videtur esse Cajetanus tom. *i* opusc. tract. *xii*. Sotus *IV*, dist. *xxiv*, q. *1*, art. *IV*; & Michaël Medina *I*, *1*. de sacrorum hom. continentia c. *XLVI*. neque non cum illis alij censem solis tribus majoribus ordinibus dignitatem sacramenti convenire. Quinimò Magister Subdiaconos, qui tamen ad maiores pertinent, & Acoluthos, cùm tempore Apostolorum non fuissent, ab Ecclesiā introductos scribit *IV*, dist. *xxiv*, K. Bellarminus ipse de Diaconis in hunc modum; *Valde probabile est eorum ordinationem sacramentum esse*, licet id non sit certum ex fide. De Subdiaconatu; *Non est tanta certitudo*. Nam nec inscripturis de eo fit mentio, nec ejus ordinatio habet manus impositionem. *Est tamen valde probabile etiam hunc ordinem esse sacramentum*. Denique de minoribus ordinibus; *Minus probabile est, quod sacramenta sint*, quam de subdiaconatu. *Absolute tamen probabilior sententia est, quae ordines omnes sacramenta esse docet*, quam ea quae id negat. Cum Bellarmino facit etiam Greg. de Valentia *IV* in Thom. disp. *IX*, q. *1*, punc. *4*. Addo hanc sententiam magis consentaneam esse Concilio Tridentino, quod cùm can. *II* anathema jussisset esse, si quis dixerit præter sacerdotium non esse in Ecclesiā alios ordines, continuò can. *III* subjungit anathema in eum, qui dixerit ordinem non esse verè & propriè sacramentum. Verisimile enim est Concilium eodem modo ordinem in utroque Canone accipere.

Ff

accipere.

de Ord. c. 6.

c. 7.

c. 8.

sent. 7.



226 DE ABSOLUTIONE ET VNCTIONE.

accipere. Sed videant ipsi, quorum interest: & simul quem tandem terminum ponere velint numero Sacramentorum. Nam quum ordines re ipsa inter se sint distincti, & distinctos numeroque diversos characteres imprimant, adeoque singuli propriam rationem, secundum quam sacramenta dicuntur, obtineant, an non quot ordines, tot erunt sacramenta?

XXIX. Unum est præterea, quod miror, quid fiat, quod sanctissimus Pontificatus non sit sacramentum? quum tamen per eum conferatur gratia spiritualis eminentior & divinior, quam in illo alio sacramento, nempe non errandi & infallibiliter de capitibus nostræ religionis determinandi: nisi forte minor sit sacramenti dignitas, quam tanto fastigio decenter tribui possit.

A B S O L U T I O . XXIX. ABSOLUTIO, quâ generales promissiones singulis hoc ministerio utentibus adlicantur, mandatum habet & promissionem. Deficit in externo elemento, signo & ritu divinitus instituto.

U N C T I O . XXX. UNCTIO infirmorum symbolum erat fanationis, quam per eam conferebant discipuli Christi. Marc. vi, 13. *Ungebant oleo multos ægros & sanabant.* Mansit hoc donum aliquamdiu in Ecclesiâ primitivâ; unde epistola Jacobi: *Infirmitur quis in vobis? advocet presbyteros Ecclesiae: & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: Et oratio fidei servabit infirmum, & exœci eriget eum Dominus.* Manifestum est verba fieri de restitutione sanitatis, quam etiam tum temporis per hoc symbolum nonnumquam conferri solitam verisimile est. Deinde addit ipsam caussam sublatam iri, ob quam plerumque immittuntur morbi; & si, inquit, peccata perpetraverit,

c. 5, v. 14

traverit, remittentur ei. Nihil tamen minus colligi hinc potest, quam remissionem adscribi ritui unctionis: sed sicut ipsam sanitatem præcipue orationi fidei, sic hic remissionem peccatorum eidem tribuit. Neque verò quid sui officij esset presbyteri ad agrum acciti ignorabant, nempe ut de causa morborum verba facerent, & de seriâ pœnitentiâ & fide in Christum admonerent. Non autem Epistola presbyteros instruit, sed ægros adloquitur & docet, quod presbyteros accersere debeant, & addit fore, ne ipsos hujus rei pœniteat, verum operâ eorum sanitati non corporis modò, sed animæ quoque restitutos iri. Atque hinc est, quod non presbyteris quos suum officium vel novisse, vel aliunde discere posse existimat, sed ægris quid & in quem finem facere debeant, præscribit.

XXXI. Hic itaque locus, utut in eo solo præsidium sine causæ collocent Pontificij, nimirum infirmus est tibicen, quo Extrema unctione statuminetur. Hæc enim ab illâ toto genere differt: conferunt constitutis in periculo mortis, de quorum vitâ desperatum est, unde *Sacramentum exequitum* nuncupant, nempe oleo ab Episcopo consecrato ungunt septem corporis partes, nimirum oculos, aures, nares, os & manus propter quinque sensus; deinde renes, ubi est sedes concupiscentiæ; & tandem pedes ob vim progressivam & ex equitionem: hac pronunciata formulâ: *Per istam sanctam unctionem, & summiissimam misericordiam indulget tibi Dominus quidquid deliquerit per visum &c. & similiter in alijs membris. Effectum adscribunt abstersionem reliquiarum peccati.* Jacobi autem unctione ægrotis quibus spes sanitatis erat, conferri jubetur, ut per eam & orationem fidei à Domino eri-

EXTREMA
UNCTIO.

Ff 2

gatur,

228 DE UNCTIONE ET MATRIMONIO.

gatur, sibiique restituatur æger: eadem nempe, cuius
mentio apud Marcum, quidquid manifestæ veritati & an-
tiquioribus Theophylacto, Bedæ in Marcum & Oecume-
nio in Epistolam Jacobi commentantibus reclament So-
tus, Janfenus, Bellarmiñus, Suarez.

XXXII. Suam itaque unctionem reclus referant
ad Valentianos, qui mortuos redimabant ad finem defuncti-
onis, mittentes eorum capitibus oleum & aquam, ut scribit
Irenæus; sive Heracleonitas, ungentes qui ad exitum vi-
tae devenerant, ἐλαῖον ὑδατί μιχάρτες οὐτισάλλυσι τῆς φεραλῆς
τῆς ἔξαγόντος accepta à Marco occasione, teste Epiph-
anio. Feruntur, ait Augustinus, suos morientes novo modo
redimere, id est, per oleum, balsamum & aquam, & invoca-
tiones, quas Hebraicis verbis dicunt super capita eorum.
I. r. tom. 3. hæc. 36. ad Quod-
vultd. hæc. 16.

XXXIII. Pontificiam unctionem à Christo insti-
tutam esse negant ex ipsis Pontificijs Hugo de S. Victore
I. II de sacram. c. II. Magister IV, dist. XXIII, B. Alensis
IV part. quæst. IIX, memb. II, art. I. Altisiodorensis I. IV
sum. tract. VII, cap. I. Bonaventura IV, dist. XXIII, art. I,
quæst. I, ait: *Cum in Evangelio sufficienter lex Evangelica
exprimatur, & hæc contineat Christi statuta & facta, & magis
statuta quam facta, quomodo probabile est ut omnes Evan-
gelistæ sic sub silentio tam nobilia sacramenta pertransiſſent?*
Thomas dicit: *Extrema unctio & Confirmatio neque sunt de
necessitate salutis, neque ad dispositionem sive distinctionem Ec-
clæſiae pertinent.* Suppl. quæst. XXIX, art. III.

XXXIV. MATRIMONIUM deficit in requisiti-
bus primo, tertio, quarto & quinto.

XXXV. Strictè itaque accepto vocabulo, non
adpellamus sacramentalis Baptismum & Eucharistiam.
Si latè sumatur, concedimus ut Ordinationem & Abso-
lutionem.

lutionem sic quoque Matrimonium (nam Confirmationem & Unctionem planè rejicimus) eo insigniri posse, cùm ut horum dignitas & usus magis commendetur, tum quia aliquam habent cum veris sacramentis analogiam. In hunc sensum Apologia Augustanæ confessionis: *Non multum referre putamus, etiam si docendi causâ alij numerant aliter, si tamen recte conservent res in scripturâ traditas.* Item: *Nemo vir prudens de numero aut vocabulo magnopere rixabitur, si tamen illæ res retincentur, quæ habent mandatum Dei & promissiones.*

art. 15.

XXXVI. Postremò de CHARACTERE monendum est, quem in tribus sacramentis, Baptismo, Confirmatione & Ordinatione imprimi docent, & dissentientibus anathema dicunt Tridentini. Definiunt autem, *signum quoddam spirituale & indeleibile*, unde ea sacramenta iterari non possunt. Gabriel pleniū: *Est signum spirituale à Deo solo animæ impressum in susceptione interabilis sacramenti, manens indelebiliter de lege communi.* Bellarminus dicit se probare ex divinis litteris, characterem esse, ubi profert loca 11 Cor. 1, 21; Eph. 1, 13; & 1v, 30. Verum Gregorius de Valentia, qui 1v in Thom. quest. 1v, puncto 11 eadem adducit, agnoscit vanitatem consequentiæ, & dicta illa torqueri, propterea dicit, *suffragari huius adassertioi scripturam, si absque pertinaciâ & proterviâ intelligatur.* Et Fr. Suarez tomo 111 in tertiam Thomæ, disp. xi, sect. I. *Licet per se non cogant, tamen suppositâ traditione Ecclesiæ & veritate characteris, verisimile est, Paulum usum fuisse verbo signandi propter characterem.* Gabriel definitioni quam modo adscribemus, pollò post subjungit: *Characterem esse ponendum eo modo, quo definitus est, nec ratio necessaria demonstrat,* concl. II.

CHARA-
CTER.

seff. 7, can. 9.

4, dist. 6, q.
2, not. 3.de saer. in
gen. 1, 2, c. 20

ff 3

monstrat,

DE CHA RACTERE.

230 monstrat, nec evidens autoritus probat. Item: *Omnia quæ adtribuuntur characteri, puta significare, configurare, distinguere, disponere, memorari, obligare, & quæ solvuntur sine charactere sicut cum charactere.* Omnia enim operatur sacramentum ipsum sine charactere. Et iterum: *Omnia de charactere dicta pro magnâ parte voluntaria sunt, & modicâ ratione fulcita.* Cajetanus in IIII Thom. quæst. XLIIII disertè fatetur esse rem novam.

art. IIII, du-
bio v.

XXXVII. Jam verò posito, quod sit character, miserè inter se digladiantur, ad quamnam rerum classem referendus sit. Durandus IV, dist. IV, quæst. I, docet non esse nisi ens rationis sive respectum rationis: quæ sententia nunc, quia non procul abest à vero, intollerabilis. Scotus IV, dist. VI, quæst. X, probabilius censet esse relationem realem. Richardus IV, dist. V, art. II, quæst. I, esse reductivè qualitatem, quæ ad triplicem ejus speciem, primam, tertiam & quartam pertineat. Alensis IV parte, quæst. XIX, memb. I, art. II, & Bonavent. IV, dist. VI, art. I, quæst. I, non nisi in primâ collificant: Marsilius IV, quæst. IV, art. I, concl. VII, in quartâ: Thomas III, quæst. LXIIII, art. II, in secundâ; & hanc sententiam adprobant Soto, Cajetanus & Valentia. Sed Suarezio videtur difficultissima, propterea ipse facit cum Alensi & Bonaventurâ. Bellarminus absolutam qualitatem esse dicit; reliquis difficultatibus se non immergit. Verum referant, quo referri debet, ad genus rerum sub quo continetur *Tragelaphus*, & rem factam habebunt.

Tantum de sacramentis in genere dictum esto. Nunc speciatim, primo quidem de Baptismo, dein de Sacra cœnâ agendum erit.

DISPU-